



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Baptismo Et Confirmatione - Dvobus Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XI. De effectu huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53934)

naturam elementorum, & eam esse corruptibilem, & salutem adferre non posse, & vim spiritalem à verbo Dei impressam, & ratione illius aquam in Baptismo, & panem, ac vinum in Eucharistia salutem adferre. At cur, quæso, non idem nos de oleo dicere possumus?

TERTIA obiectio est Kemnitij 2. parte Examinis pagin. 288. forma huius Sacramenti: *Signo te signo crucis, &c.* non habetur in vetustis scriptoribus, nec in ipsis Canonibus, &c. RESPONDEO; iam reddidi causam huius rei.

QUARTA obiectio ibidem. In ipsis Pontificalibus non est eadem forma. Nam Gabriel recitat quosdam pro *Chrismate salutis*, dicere: *Chrisma sanctificationis*, & Gerson habet formam *Firmo te signo crucis, & Chrismate salutis*. RESPONDEO; ista omnia in idem coincidere cum nostra forma: semper enim est idem sensus, siue dicas: *Salutis*, siue *sanctificationis*, siue *confirmatio*, siue *firmo*, &c. quamuis enim oporteat præscriptis verbis uti, & nihil mutare, & qui secus faciunt, peccent, tamen, (vt sepe diximus) dum idem sensus manet, semper Sacramentum conficitur: & potest facile fieri, vt in variis Ecclesiis sit aliqua varietas in vocibus, modò maneat sententia eadem: vt etiam patet in forma Baptismi Latinorum, & Græcorum.

## CAPVT XI.

### De effectu huius Sacramenti.

**D**VPLEX est Sacramenti huius effectus. Vnus, quòd gratiam confert gratum facientem, & quidem maiorem, quàm ipse Baptismus, in ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus: sed minorè in ordine ad remissionem peccati, quia non remittit totam poenam, vt facit gratia Baptismi. Neque est opus hic aliquid addere, cum id satis copiosè probatum sit supra in prima Conrouersia: inde enim probauimus, Confirmationem esse Sacramentum propriè dictum, quia Scripturæ, & Patres omnes affirmant, dari per hanc cæremoniã copiosissimam gratiam, atque aded ipsam Spiritum sanctum.

ALTER effectus est character, quo adscribimur in Christi militiam, sicut per Baptismum in Christi familiam. Probat

antem iste character Confirmationis, eo modo, quo character Baptismi, ex eo, quod non potest repeti Confirmatio. Nam supra ostendimus, rationem, cur Sacramenta quædam sint initerabilia, nullam posse reddi sufficientem, præter characterem; quocirca etiam ab effectu demonstratur evidenter character, cum ostendimus aliquod Sacramentum esse initerabile.

Esse autem initerabilem Confirmationem. PRIMO expressè probatur ex Apostolo Hebr. 6. *Non iterum iacentes fundamentum penitentiae ab operibus mortuæ, & fidei ad Deum baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, &c.* ubi teste Chryostomo, Theodoro, Theophylacto, & aliis, Apostolus per impositionem manuum intelligit Confirmationem, quæ dabatur statim post Baptismum; ac docet non licere ei, qui labitur post Baptismum, & Confirmationem, iterum redire ad Baptismum, & Confirmationem: hæc enim sunt fundamenta, quæ non iaciuntur nisi semel. SEPTIMO idem patet ex Concilio Toletano VIII. can. 7. ubi apertè dicitur, *Chrisma semel collatum, repeti non posse ut nec sacrum Ordinem.* Item ex Concilio Tarraconensi, & ex decreto Gregorij II. apud Gratianum, dist. 5. de consecr. can. dictum est, & can. de honore: quibus adde Concilium Florentinum instruct. Armenorum & Trident. sess. 7. can. 9. TERTIO idem patet ex Patribus. Nam CYPRIANVS, seu quicumque fuit auctor, in serm. de ablutione pedum: *Baptismum, inquit, repeti Ecclesiasticæ prohibent regule: nemo sacros Ordines semel datos iterum renouat: nemo sacro oleo lita iterum linis, aut consecrat: nemo impositione manuum, vel ministerio derogat sacerdoti: quia contumelia esset Spiritus sancti, si euacuari posset, quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit, & confirmat.* IUGUSTINVS lib. 2. contra literas Petilinae, cap. 104 (vt supra notauimus) apertè docet, Sacramentum Chrismatis semel datum, non manere etiam in pessimis, nec vnquam aboleri: ex quo manifestè sequitur repeti non posse. Similia docent Rabanus libro 1. de instit. clericorum capite 30. Amalarius libro 1. de officiis Ecclesiasticis, capite 27. & alij recentiores.

